

mino quis feneratur, cum multiplici fenore redit in caput ejus. Væ genti peccatrici, semini nequam, filiis sceleratis! ad quos spectat illa Domini querela terribilis: *Non feneravi, nec feneravit mihi quisquam; omnes maledicunt mihi, dicit Dominus (Jerem. xv, 40, 41)*. Judaicus populus hic erat, qui in ratione dati et accepti communicare contempsit Domino, nolens benedicere Benedictum Dei Patris, ut benediceretur ab eo; sed Samaritanum, dæmoniacum vocans, insanis atque blasphemis Deum insectabatur maledictis (*Joan. viii, 48, 52, 53*). *Maledicent illi, inquit, et tu benedices (Psal. cviii, 28)*; nam ab eis benedictio quam noluerunt, elongabitur ad gentes. Benedicite, gentes, Deum nostrum, quoniam qui prior feneravit vobis, præveniens vos in benedictionibus dulcedinis, fenerantibus sibi multiplices restituit usuras in benedictionibus beatitudinis.

3. Ego tamen vereor, fratres mei, ne forte hæc tempora teporis et infidelitatis tangat illa querela Domini: *Non feneravi, nec feneravit mihi quisquam (Jerem. xv, 10)*; quia videlicet gratia offertur, nec suscipitur; promittitur merces operi, et vix aliquis spe illius operatur. Dominus siquidem fenerat, cum talenta servis partiens, scientiam verbi vel gratiam cujuslibet muneris ad lucrum prærogat: Domino autem fenerat jucundus homo qui miseretur et commodat, dicente Scriptura: *Feneratur Domino, qui misericordiam facit proximo (Prov. xix, 17)*. Imo Domino feneratur quicumque spe divinæ retributionis aliquid operatur, ut dicere possit: *Scio cui credidi (II Tim. i, 12)*, scio qui dixit: *Si quid erogaveris, cum rediero reddam tibi (Luc. x, 35)*. Nos autem aut nihil aut ita timide gelideque feneramus ei, quasi debitor infidelis sit, aut non habeat unde reddere possit. Magnæ prorsus fidei illa plebs Hebræa, quæ, cum eum pauperem sedentem super asellum, et ipsum non suum, cerneret, omni tamen securitate ac devotione fenerabat ei, non solum vestimenta sua in via sternens, sed et se totam, quantum poterat, honori ejus impendens. Sed nimirum intelligebat super egenum et pauperem; quippe cui propheta signum dederat intelligendi Salvatorem, ipsam qua superbis viluit, paupertatem. *Ipsæ, inquit, pauper, et ascendens super asinum (Zach. ix, 9)*. Hoc, inquit, signo poteris venientem agnoscere Regem tuum, cujus regnum non est de hoc mundo, quia scilicet, ad debellandam superbiam quæ regnat in mundo, paupertatem seu humilitatem evangelizabit sicut verbo sic etiam exemplo.

4. Beata itaque filia Sion, quæ humilitatem tanquam armaturam celestem, tanquam insigne regium didicit venerari. Misera mater ejus infidelis illa Sion, quæ cum humilem vidit, fastidivit, cum honoratum vidit, invidit. Beata, inquam, Ecclesia primitivorum, quæ tam fideliter agnovit, tamque gratanter suscepit venientem in nomine Domini; infelix Synagoga perfidorum, quæ, venturum in suo nomine parata suscipere, illius qui Patris gloriam quærebat cruciabat honorē. *Increpa, inquit, discipulos tuos; quasi*

scilicet aut illorum simplicitas posset adulari, aut ipsius puritas vanis posset laudibus delectari. *Dico, inquit, vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt (Luc. xix, 39, 40)*; quia Deus laudem meam non tacebit. Prorsus ita est: si tacuerint, lapides clamabunt; quia tempore passionis isti tacuerunt, sed lapides clamaverunt, dum in testimonium et laudem morientis, petreæ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt (*Matth. xxvii, 51, 52*). Prorsus ita est, quia modo tacente Synagoga, juxta illud: *Nocte tacere feci matrem tuam (Ose. iv, 5)*, elamat vivis ex lapidibus Gentium Ecclesia, clamant plane lapides, de quibus suscitavit filios Abrahæ qui potens est. *Laudate, inquit propheta, habitatores petreæ, de vertice montium clamabunt (Isai. xlii, 11)*. Ecce hodie in foraminibus petreæ, in cavernis maerentiæ vox columbæ resonat, clamantis et dicentis: *Hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini (Matth. xxi, 9)*.

5. Benedictus qui, ut nidificare possem in foraminibus petreæ, manus, pedes et latus perforari sibi tulit, et se mihi totum aperuit, ut ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, et protegar in abscondito tabernaculi sui. Opportunum quidem petra refugium erinacis, sed et habitatio grata columbis, cujus foramina tot **997** vulneribus toto fere corpore patentia, et veniam offerunt reis, et gratiam conferunt justis. Imo vero tuta habitatio, fratres mei, turrisque fortitudinis a facie inimici, pia ac sedula meditatione Christi Domini vulneribus immorari, fideque et amore Crucifixi, animam ab æsta carnis, a turbine sæculi, ab impetu diaboli contutari. Super omnem gloriam mundi protectio hujus tabernaculi, videlicet in umbraculo diei ab æstu, in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia, ut per diem sol non urat te prosperitate, nec turbo moveat in tempestate. *Ingrede igitur in petram, o homo, abscondere in fossa humo (Isai. n, 10)*, pone tibi latibulum in Crucifixo. Ipse petra, ipse humus, quia Deus et homo; ipse petra forata, humus fossa, quia *foderunt manus meas, inquit, et pedes meos (Psal. xxi, 17)*, *Abscondere, inquit, in fossa humo a facie timoris Domini (Isai. ii, 10)*: hoc est, ab ipso fuge ad ipsum, a judice ad redemptorem, a tribunali ad crucem, a justo ad misericordem; ab eo qui percutiet terram virga oris sui, ad eum qui inebriat terram stillicidiis cruoris sui; ab eo qui spiritu laborum suorum interficiet impium, ad eum qui sanguine vulnerum suorum vivificat extinctum. Quinimo non ad ipsum tantum, sed in ipsum abscondere, in ipsis manibus foratis, in fossa humo abscondere, in ipsis manibus foratis, in fossa latere te ipsum reconde. Vulnus enim in latere Christi, quid nisi ostium in latere Arcæ salvandis a facie diluvii? Illud tamen figura, istud autem veritas, ubi non modo servatur vita mortalis, sed recuperatur immortalis. Ideo quippe latus suum pius et misericors aperuit, ut erueret te vulneris vivificet, calor corporis refocillet, spiritus cordis quasi patenti et libero meatu aspiret. Ibi tuto latebis, donec trans-

eat iniquitas; ibi nequaquam algebis, eo quod in visceribus Christi non frigescat charitas; ibi deliciis afflues, ibi gaudiis superefflues; vel tunc demum cum a vita capitis tua et omnium membrorum corporis ejus absorpta fuerit mortalitas.

6. Merito itaque columba Christi, formosa Christi, cui ipsius vulnera tam tuta quam grata ad nidificandum paravere foramina, laudes ipsius utique hodie lætabunda decantat, ac de passionis memoria vel imitatione, de vulnerum meditatione, tanquam de foraminibus petreæ vox suavis in auribus sponsi resonat. Cæterum vobis, fratres mei, qui tanto interius

DE RESURRECTIONE DOMINI.

SERMO I.

Pulchre verba Jacob de Joseph applicantur ad resurrectionem Christi.

1. *Nuntiaverunt Jacob, dicentes: Joseph vivit. Quo audito, revixit spiritus ejus, et ait: Sufficit mihi, si Joseph filius meus vivit. Vadam et videbo eum antequam moriar. (Gen. xlv, 26, 28)*. Dicetis forsitan, mihi, Bene; sed quid ad rem? quid de Joseph ad gaudium hujus diei, ad gloriam resurrectionis Christi? Pascha est, et tu iterum apponis quadragesimalia? Agnum paschalem esurit anima nostra, cui se per tam longa præparavit jejunia. Ardens est cor nostrum in nobis de Jesu, Jesum desideramus; sed nondum meremur ipsum videre vel de ipso audire, Jesum, non Joseph esurimus; Salvatore, non somniatorem; dominatorem cœli, non Ægypti; non qui pavit ventres, sed qui pascit mentes, sed esurientes. In hoc saltem nos adjuvet sermo tuus, ut, quem esurimus, amplius esuriamus. Legimus enim: *Beati qui esuriunt, quoniam ipsi saturabuntur. (Matth. v, 6)*. Cum audimus, magis esurimus. Nam et qui epulas commendat, famem irritat. Si de Jesu audierimus, auditui nostro dabitur gaudium et lætitia, et exsultabunt ossa humiliata. Humiliata sunt ossa nostra quadragesimali afflictione et luctu, magis autem **998** dolore passionis ejus; sed exsultabunt nuntio resurrectionis ejus. Cur ergo tuum Joseph nobis ingeris, cum præter Jesum, quidquid loquaris non sapiat nobis: præsertim hodie, cum paschalis agnus comeditur, dum Pascha nostrum immolatus est Christus?

2. Ovum sive nucem apposui vobis, fratres; frange testam, et invenietis eseam. Joseph disentiatur, et Jesus invenietur agnus paschalis, quem esuritis; qui tanto dulcius comeditur, quanto latens abstrusius, et studiosius queritur, et difficilius invenitur. Dicetis mihi: Quid Joseph ad Christum? quid historia quam proposui ad diem istum? Multum per omnem modum. Historiam recordamini, et ultro se e vobis revelabit pietas mysterii, si modo Jesum interpretem habeatis, qui, hodieque resurgens, de occidente littera loquitur suis in via, et aperit Scripturas. Quis enim in omnibus Patriarchis et Prophetis manifestius aut signantius quam Joseph figu-

ram exprimit Salvatoris? Et, ut breviter summam perstringam, secundum illud: *Da occasionem sapienti, et addetur ei sapientia (Prov. ix, 9)*, si cum fide ac pietate cogitemus interpretationem nominis ejus, deinde quod præ cæteris fratribus *pulchra facie et decorus aspectu (Gen. xxxix, 6)*, quod innocens actu, prudens intellectu, quod venditus a suis, suos a morte redemit, quod prius humiliatus usque ad ergastulum, et sic exaltatus usque ad solium, quod denique pro merito operis sui novo nomine appellatus est inter gentes *Salvator mundi (Gen. xli, 45)*; si hæc omnia, inquam, pie ac fideliter cogitemus, nonne incunctanter agnoscimus quam vere sit a Domino dictum: *In manibus Prophetarum assimilatus sum? (Ose. xii, 10)*.

3. Jam vero si veniamus ad verba illa quæ de historia proposui, puto quia non tam expositione indigebunt, quam admirationem et gaudium movebunt; quod videlicet tam evidentè resurrectionis Christi testificata sit a Lege et Prophetis, et historia vestri tam proprie nova sacramenta loquatur, ut, cum prophetia legitur, pene Evangelium mutatis duntaxat nominibus audiri videatur. *Nuntiaverunt, inquit, Jacob, dicentes: Joseph vivit. Quid aliud hic intelligere possum, nisi, Nuntiaverunt Apostolis dicentes: Jesus vivit? Jacob namque nihil aliud quam Apostolorum chorum intelligo; nec absurde, ut arbitror; non solum quia de Jacob orti sunt, non solum quia de Jacob Israel facti sunt, cum de luctu activæ ad visionem et requiem contemplativæ transierunt; sed etiam quia Patres sunt multitudinis credentium, id est verorum Israelitarum, sicut ille carnalium. Si cut ille, sic isti, suum Joseph cum putarent perisse, inconsolabiliter doluerunt; cum audissent vivere, difficulter et tarde crediderunt; cum cognovissent, ineffabiliter gavisi sunt. *Nuntiaverunt, inquit, Jacob, dicentes: Joseph vivit. Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebatur eis (Gen. xlv, 26)*. Quasi aliis verbis mihi videtur dictum, quod in Evangelio legitur scriptum: *Ille vadens, haud dubium quin Maria Magdalene, nuntiavit his qui cum ea fuerant lugentibus et flentibus; et illi audientes quia viveret et visus esset ab ea, non crediderunt. Post hæc ostensus est duobus in via, et illi ex-**

euntes nuntiaverunt ceteris, nec illis crediderunt (Marc. xvi, 10-13). Item apud Lucam: *Et regressæ a monumento, nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et ceteris omnibus; et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non credebant illis* (Luc. xxiv, 9, 11); nimirum quia evigilabant de gravi somno tædii et desperationis. *Cum autem, inquit, vidisset Jacob universa quæ Joseph miserat ei, revixit spiritus ejus, et ait: Sufficit mihi si Joseph filius meus vivit. Vadam et videbo eum, antequam moriar.* (Gen. xlv, 27, 28). Sic utique in Apostolis parum profecerunt verba, donec acceperunt munera. Nam et ipse Jesus cum se eis præsentem exhibuit, non tam persuasit ostensione corporis, quam aspiratione muneris.

4. Scitis quia cum venit ad eos januis clausis, et stetit in medio eorum, *illi conturbati et conterriti existimabant se spiritum videre* (Luc. xxiv, 37). Cum autem insufflavit in eos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum* (Joan. xx, 22), vel cum cœlitus misit eundem Spiritum, sed aliud donum, hæc utique dona, resurrectionis et vitæ indubitata testimonia fuerunt et argumenta. Spiritus enim est qui testificatur apud sanctorum corda et per eorum ora, quoniam Christus **999** est veritas, vera resurrectio et vita. Ideo et Apostoli, qui prius dubitabant etiam post intuitum corporis viventis, post gustum spiritus vivificantis, virtute magna reddebant testimonium resurrectionis. Adeo plus est corde Jesum concipere, quam oculis videre, vel auribus de ipso audire; tantoque potentior est operatio Spiritus apud sensus hominis interioris, quam corporalium apud sensus exterioris. Quis enim dubietati relinquatur locus, ubi qui testificatur, et cui testificatur, unus fuerit Spiritus? Si unus Spiritus et unus sensus, parque consensus. Tunc ergo vere, sicut de Jacob legitur, revixit eorum spiritus, qui jam propemodum luctu erat extinctus, imo desperatione sepultus. Tunc, nisi fallor, quisque eorum dicebat sibi: *Sufficit mihi quod Joseph meus vivit; quia vivere mihi Christus est, et mori lucrum. Vadam igitur in Galileam, in montem ubi constituit nobis Jesus, et videbo eum, et adorabo antequam moriar, ut postea nunquam moriar; quia omnis qui videt Filium et credit in eum, habet vitam æternam, ut, etiamsi mortuus fuerit, vivat* (Joan. vi, 40, et xi, 26).

5. Nunc ergo, fratres mei, quid vobis testatur gaudium cordis vestri de amore Christi? Puto equidem (an recte, vos videritis) quoniam si unquam amastis Jesum, seu vivum, seu mortuum, sive redvivum, hodie, cum tam crebro in Ecclesia personant et consonant nuntii Resurrectionis, cor vestrum in vobis gloriatur sibi, et dicit: Nuntiaverunt mihi, dicentes: Jesus Deus meus vivit. Quo auditore revixit spiritus meus, qui dormitabat præ tædio, vel languiebat tepore, aut nimia deficiebat pusillanimitate. Nam et de morte suscitatur criminosa jucunda vox hujus felicitatis nuntii. Alioquin certe desperandus est

et oblivione sepeliendus, quem Jesus, regrediens ab inferis, in infimo reliquit inferni. In hoc sane noveris quod spiritus tuus plene in Christo revixerit, si quod sequitur ex sententia dixerit: Sufficit mihi, si Jesus vivit. O vocem fidelem et plane dignam amicis Jesu! o castissimum affectum, qui sic loquitur: Sufficit mihi si Jesus vivit! Si vivit, vivo, cum de ipso pendeat anima mea, imo ipse sit vita mea, ipse sufficientia mea. Quid enim mihi deesse poterit, si Jesus vivit? Imo desint omnia alia, nihil interest mea, dummodo Jesus vivat. Ipse ergo, si placet ei, desit mihi; sufficit mihi, dummodo vivat ipse vel sibi. Cum sic amor Christi totum absorberit affectum hominis, ut, negligens et immemor sui nonnisi Jesum Christum et ea quæ sunt Jesu Christi sentiat, tunc demum, ut arbitror, perfecta est in eo charitas. Huic utique qui sic affectus est, non est onerosa paupertas: iste non sentit injurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat; imo nec mori se putat, cum magis de morte ad vitam transire se sciat, ei fidenter dicat: Vadam et videbo eum, antequam moriar.

6. Nos tamen, fratres mei, licet non simus tantæ nobis puritatis conscii, eamus nihilominus, eamus videre Jesum in montem Galileæ celestis, ubi constituit nobis. Eundo crescet affectus, et saltem perveniendo perficietur. Eundo, via prius arcta et difficilis dilatatur, et virtus infirmis augetur. Ut enim nec Jacob, nec aliquis de domo Jacob se excarsaret a via præter alia munera, missa sunt pauperi seni sumptus et vehicula, ne quis videlicet aut paupertatem causaretur, aut infirmitatem. Caro Christi est viaticum, spiritus vehiculum. Ipse est cibus, ipse currus Israel et auriga ejus. Cum perveneris, tua sunt optima quæque, non Ægypti, sed cœli: in optimo loco regni tuus Joseph tibi requiem providit. Qui prius misit Angelos, mulieres, et Apostolos resurrectionis suæ testes et nuntios, nunc ipse clamat e cœlo: Ecce ego quem mortuum lugebatis hæc triduo, mortuus quidem fui propter vos, sed ecce vivo, et *data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (Matth. xxviii, 18). *Venite ad me, qui laboratis fame: et ego reficiam vos.* (Id. xi, 28). *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paravi* (Id. xxv, 34). Qui vos eo vocat, ipse perducat, ubi cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

1000 SERMO II.

De duplici nostra resurrectione.

1. *Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima* (Apoc. xx, 5). *Ego sum*, inquit Jesus, *resurrectio et vita* (Joan. xi, 25). Ipse utique resurrectio prima, ipse et resurrectio secunda. Resurgens quippe a mortuis primitiæ dormientium Christus, et sacramento suæ resurrectionis operatus est nobis resurrectionem primam, et exemplo ejusdem suæ resurrectionis operabitur nobis secundam. Prima

enim est animarum, cum eas sibi conresuscitat in novitatem vitæ: secunda erit corporum cum reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (Philipp. iii, 21). Recte igitur resurrectionem et vitam Christus se proficitur, quandoquidem per ipsum et in ipsum resurgimus, ut secundum ipsum et apud ipsum vivamus: nunc quidem secundum ipsum, in sanctitate et justitia; postmodum apud ipsum, in beatitudine et gloria. Porro sicut resurrectio prima capitis nostri Domini Jesu Christi causa est et argumentum secundæ resurrectionis, quæ erit totius ipsius corporis, sic unicuique nostrum prima resurrectio animæ, qua reviviscit a morte peccati, argumentum est et causa secundæ suæ resurrectionis, qua corpus liberabitur non modo a corruptione mortis, sed etiam ab omni corruptibilitate mortalitatis. Quod enim hæc illius argumentum et causa sit, Apostolus evidenter ostendit, ubi ait: *Si spiritus Christi habitat in vobis, qui suscitavit Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum ejus in vobis* (Rom. viii, 11).

3 Bene igitur dicitur. *Beatus et sanctus qui habet partem in prima resurrectione* (Apoc. xx, 6). Sanctus videlicet propter primam, quem jam adeptus est per innovationem animæ; beatus propter secundam, quam feliciter exspectat in corporis restitutione. Denique unde beatus sit, ea lem aperit Scriptura, cum subdit: *In his scilicet qui partem habent in prima resurrectione, mors secunda non habet potestatem, etiamsi prima mors visa est ad horam in eis exercuisse dominationem. Regnavit quippe mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ* (Rom. v, 14). Sed sicut Christus, sic et christianus *resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (Id. vi, 9). Itaque in beatis illic nec mors secunda potestatem habebit, nec prima potestatem quam ad tempus habuit, retinebit; quoniam mors una Christi utramque nostram triumphavit, ab ista liberans jam captos, ab illa, capiendos; ne videlicet in illam incidamus, nec in ista remaneamus. Quam vera, quam pia simul et magnifica illa morientis comminatio: *Ero mors tua, o mors* (Osee. xiii, 14)! Quam pulchre et mirifice triumphavit, qui, mortem pro omnibus gustans, tam suam quam omnium omni modam mortem absorbit! Prorsus absorpta, est mors in victoria. Securus insultet ei quicumque beatus ille est, qui partem habet in resurrectione prima: *Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? Victa es, quæ omnia vincebas; sed et arma perdidisti, in quibus confidebas. Ubi enim est stimulus tuus? Stimulus mortis peccatum* (I Cor. xv, 45, 56), quod semel pungens humani radicem generis, in totum propaginem immedicabile mortis venenum diffudit, dicente Apostolo quia *per unum hominem peccatum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransivit* (Rom. v, 12). Victrix ergo regnabat mors

ab Adam primo etiam usque ad secundum; quoniam sicut originali lege tenebatur universum genus humanum vinculo peccati, sic etiam debito moriendi.

3. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam tam peccati quam mortis, utique per Dominum Jesum Christum, qui prorsus a peccato immunis, ac per hoc liber a debito mortis, hanc tamen ultro pro nobis exsolvit moriens, et peccato nos absolvit resurgens. *Christus enim, ait Apostolus, mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (Rom. iv, 25). *Moriens namque delictorum nostrorum pendit pœnam, et resurgens justificationis perpetuæ nobis condidit formam et causam, ut, quomodo videlicet Christus resurgens a mortuis **1001** jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (Rom. vi, 9), sic christianus conresurgens Christo jam non peccet ad mortem, nec ei peccatum ultra dominetur. Hic est ille beatus et sanctus, qui partem habet in resurrectione prima, in quem nec potestatem habebit mors secunda, sed absorbebitur in victoriam resurrectionis Christi etiam mors prima. Hic est qui non solum agnovit, sed etiam apprehendit virtutem resurrectionis Christi, et societatem passionis illius; configuratus morti ejus, ut occurrat ad resurrectionem ex mortuis. Non errabat Apostolus, qui, ob lucrum illud, omnia quæ ei lucra fuerant non solum detrimenta reputabat, sed etiam velut stercora arbitrabatur, tantum ut Christo inveniretur, configuratus sicut morti, sic et resurrectioni ipsius (Philipp. iii, 7-11). Lucrosus omnino commercium, contemnere ea quæ te deterunt et polluunt, ut lucrifacias Christum; imo, si opus sit, non solum tua, sed et te ipsum superimpendere, ut cum tanto fenore immortalitatis et gloriæ te ipsum merearis recipere! Quis eum ambigat lucrosus esse commercium, seminare corpus mortale, animale, ignobile, ut surgat immortale, spirituale, gloriosum; mori mundo, ut possis dicere, *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum?* (Id. i, 21.) O cupidi, quid immoramini studio lucrandi? cur non discitis artem lucrandi? cur non vilia, imo detrimenta et stercora contemnitis, ut Christum lucrifaciat? *Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate* (Isai. lv, 2)? Ut video, vilior est vobis argento vestro panis ille qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. Sed non potest scire quanti [alias quantus.] sit, qui non vult gustare qualis sit. Utinam avarus vel ipse sibi pretiosior esset pecunia sua, nec amore illius venalem exponeret animam suam, projiceretque in vita sua intima sua (Eccli. x, 10). Prudens ille negotiator dignusque rerum æstimator, Paulum nimirum loquor, qui nec animam suam, id est animalem sensualemque vitam, pretiosior fecit se ipso (Act. xx, 24), id est spiritu suo, quo videlicet connexus inhærebat Christo, paratus animam perdere, ut in vitam æternam posset eam custodire.

4. Quia igitur qui divitias habent, difficile intrant in regnum caelorum; et qui thesaurizant argentum, citius appendunt illud in inanibus, quam in panibus, in azymis dico sinceritatis et veritatis, cum quibus hodie comedendus est Agnus paschalis; vos beati pauperes, filii pauperis Crucifixi, vos inquam, qui non habetis argentum, properate, emite et comedite. Promptius omnino et facilius emunt bonum illud nihil habentes, quam multa possidentes. Cum deest facultas, sufficit ad emendum bona voluntas, qua plerumque sunt ditiores, qui rebus sunt pauperiores. Hos nimirum recte invitat Scriptura: *Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione, vinum et lac* (Isai. Lv, 1). Vides, o felix pauper, solam a te voluntatem bonam exigi, in illa sola rationem tanti constare commercii? Ne recuses ingratus quod tam gratis offertur, imo ne perdas ingrata voluntate, quod jam merueras beata paupertate. Agnosce quanti lucri sit, non habere partem in ruina mundi, ut partem habeas in resurrectione Christi. Intellige quantae felleitatis sit, non inebriari luxu et furore saeculi, ut cum Christo novum bibas vinum in regno Patris sui. Invitat ipse Agnus paschalis amicos ad delicias corporis et sanguinis sui: *Comedite, inquit, amici, bibite, et inebriamini, charissimi* (Cantic. v, 1). Cibis iste et potus, vitae est mysterium, immortalitatis medicamentum, causa resurrectionis primae, pignusque secundae, quia divinae plane in nobis initium substantiae. *Participes*, inquit Apostolus, *Christi effecti sumus, si tamen initium substantiae ejus usque ad finem firmum retineamus* (Hebr. iii, 14). Qui enim post acceptam gratiam ad vomitum suum revertitur, *Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus*. Vel certe panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus: quia nimirum gratia percepta in poenam conscientiae vertitur, cum sanguis Testamenti, quo sanctificatus quis fuerat, pollutus ducitur, et Spiritui gratiae contumelia irrogatur. Hoc contemptu et nausea divitiae devoratae evomuntur, ita ut de eo qui ejusmodi est, dicatur: *Non remansit quidquam de cibo ejus, et propterea 1002 nihil permanebit de bonis illius*.

5. Videat autem ne forte et ipsum terribilis ista perstringat sententia, qui, cum per gratiam devotionis repletus fuerit in bonis domus Dei, nihil prorsus ex illis in memoria retinet, ut memoriam abundantiae suavitatis divinae nobis eructet; non saporem in sermonibus, tanquam gustum in faucibus; non virtutem in moribus, tanquam succum in visceribus; sed dum statim totum per inania vel scurrilia revomit, gratiam sibi in iram convertit. Prorsus in iram, et iram terribilem, si in ipsum cadit quod Scriptura contexitur dicens: *Cum satiatus fuerit, arcebitur, et irruet in eum omnis dolor. Utinam impleatur venter ejus, ut immittat in eum iram furoris sui, et pluat super eum bellum suum* (Job xx, 15, 24, 23). Justum quippe

A sentiebat atque consentiebat Propheta ut pluat super peccatores bellum, qui ad pluviam voluntariam, fructum pacis non retulerunt; sitque ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum, qui calicem Domini indigne biberunt. Terra enim saepe ventilem bibens imbrem, et generans herbam opportunam, accipit benedictionem; proferens autem spicas et tribulos, reproba est et maledictio proxima; cujus consummatio in combustionem (Hebr. vi, 7, 8). Confidimus autem de vobis, fratres, mellora et vicina salutis. Tantum gratiae Dei grati sitis, et sicut in novam creaturam translati estis paschalibus mysteriis, sic in novitate vitae semper ambuletis. Qui ergo participes Christi effecti estis societate fidei, participatione sacramenti, communione Spiritus sancti, initium substantiae ejus non solum usque ad finem firmum retinere, sed etiam sedulo augere nitimini: ut, qui per tot munerum praerogativas partem habere coepistis in resurrectione prima, tanti fiducia pignoris in die agnitionis consignati, jus vobis perpetuum vindicetis in resurrectione secunda, praestante Domino nostro Jesu Christo, resurrectione et vita nostra, qui pro nobis mortuus per triduum, jam vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

SERMO III.

De vigilantia necessaria ut partem habeamus in resurrectione Christi.

1. *Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima* (Apo. xx, 6). Primitiae dormientium Christus, primogenitus ex mortuis, quia sua resurrectione, quae prima est omnium, et primam nobis resurrectionem animarum, ut secundam corporum dedicavit; dum in corpore suo, quod suscitavit a mortuis, et animabus sacramentum, et corporibus exemplum resurgendi nuntiavit. Sed et animabus ipsis duplicem gratiam resurrectionis simplex Christi resurrectio preparavit, dum et quotidie reviviscunt a morte peccati per operationem mysterii, et hodie maxime resurgunt a somno torporis per devotionem gaudii. Quis enim ille tam piger aut tepidus, qui hodie audiens vocem illam omni gaudio plenam, *Resurrexit Dominus*, non totus in exultationem suscitetur, non totus reviviscat et recalescat spiritu? Imo et *cor meum et caro mea exultaverunt*, inquit, *in Deum vivum* (Psal. lxxxiii, 3), qui totus concideram in maerorem ac desperationem, Jesum aspiciens mortuum. Non mediocri lucro fidei, nec parvo fenore gaudii, Jesus mihi de sepulchro redit, dum et Deus vivus agnoscitur, qui paulo ante ut homo mortuus lugebatur, et quem occisum cor meum dolebat, jam in eum vivum non solum cor meum, sed et caro mea exultat, de sua scilicet per eum resurrectione et immortalitate secura. O anima mea, *Ego dormivi et exurrexi* (Psal. iii, 6), ait Christus; surge et tu, quae dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (Ephes. v, 14). An non, fratres, mortuo similis, qui adhuc stetit orto jam sole,

qui adhuc negligentia et socordia premitur, quasi desperato sepultus torpore, jam ubique gratia resurrectionis rutilante? Ferit oculos Sol novus emergens ab inferis, his qui de mane vigilant ad eum, diem reserans aeternitatis. Dies iste vesperam nescit, quia non occidet ultra sol ejus, qui semel occidens, semel ascendit super occasum, mortem sibi subjiciens.

2. O fratres, haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea (Psal. cxvii, 24). Exultemus in spe ejus, ut videamus 1003 et gaudeamus in luce ejus. Exultavit Abraham ut videret diem Christi, et hoc merito vidit, et gravisus est (Joan. viii, 56). Nam et tu quoque si vigiles quotidie ad fores Sapientiae, et observes ad postes ejus, pervigilque excebes cum illa Magdalena ad ostium monumenti ejus (Matth. xxvii, 61), probabis, ni fallor, et ipse cum eadem Maria (Luc. xxiv, 1-8), quam verum sit quod de ipsa Sapientia, quae Christus est, legitur: *Facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quaerunt illam. Praecipat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit assidentem enim illam foribus suis inveniet* (Sap. vi, 13-15). Sic enim et ipse promisit dicens: *Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilaverint ad me, invenient me* (Prov. viii, 17). Invenit quidem Maria corporaliter Jesum ad quem vigilabat, ad cujus monumentum, cum adhuc essent tenebrae, excubare venerat. Tu vero qui jam non debes nosse Jesum secundum carnem, sed secundum spiritum, spiritualiter nimirum eum invenies poteris, si simili eum desiderio quaesieris, si te similiter pervigilem in oratione adverteris. Dic ergo Domino Jesu desiderio et affectu Mariae: *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus in praecordiis meis; de mane vigilabo ad te* (Isai. xxvi, 9). Dic voce et mente Psalmistae: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo: sicut in te anima mea* (Psal. lxxii, 2). Et vide si non cum eis tibi cantare congruerit: *Repleti sumus mane misericordia tua et exultavimus, et delectati sumus* (Psal. lxxxix, 14).

3. Vigilate ergo, fratres, in orationibus intenti, vigilate in actionibus circumspecti; praesertim quia jam mane illius diei indeclinabilis inclaruit, postquam videlicet lux aeterna serenior nobis et gravior ab inferis rediit, solemque novum susceptio matutina reparavit. Prorsus hora est jam nos de somno surgere, postquam nox praecessit, dies autem appropinquavit (Rom. xiii, 11, 12). Vigilate, inquam, ut oriatur vobis matutina lux, Christus scilicet, cuius quasi diluculum preparatus est egressus, paratus utique vigilantibus ad se, mysterium suae matutinae resurrectionis saepius innovare. Tunc utique cantabis in júbilo cordis, *Deus Dominus illuxit nobis. Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea* (Psal. cxvii, 27, 24), cum videlicet lucem quam in manibus abscondit interlucere tibi

A permiserit, annuntians de ea amico quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere. Usquequo, piger, dormis? usquequo dormitas? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias (Prov. vi, 9, 10, et xxiv, 33); et cum te dormiente, te nesciente Christus de sepulchro surrexerit, et gloria ejus transeunte, nec posteriora ejus videre merueris; tunc sera poenitentia planges, et dicies cum impiis, *Ergo erravimus a viaveritatis, et justitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis* (Sap. v, 6). *Vobis autem*, inquit, *timentibus nomen meum, oriatur sol justitiae* (Malach. iv, 2); et, *qui ambulat in justitiis, Regem in decore suo videbunt oculi ejus* (Isai. xxxiii, 13, 17). Et id quidem beatitudo est vitae sequentis, sed juxta quemdam modum indulgetur etiam ad consolationem praesentis, sicut evidenter probat resurrectio Christi. In multis siquidem argumentis per dies quadraginta Sapientia nobis probavit quoniam *dignos se ipsa circuit quaerens, et in viis suis ostendit se illis hilariter, et in omni prudentia occurrit illis* (Sap. vi, 17). Ut enim Jesus se illam esse sapientiam, de qua haec scripta sunt, ostenderet; et, quod quotidie spiritualiter actitare non desinit, id est, in viis justitiae se ostendere hilariter, hodie corporalis etiam operis specie figuraret, in via hodie occurrit mulieribus a monumento redeuntibus, in via se ostendit duobus euntibus in Emmaus (Luc. xxiv, 3, 4, 13-27).

4. Audiant et gaudeant qui in viis justitiae ambulat; audiant, inquam, quia non solum inhaerentes studio contemplationis, sed etiam ambulantes juste ac pie vias actionis, Jesus dignatur et occursum et manifestationem sui. Agnoscit, ni fallar, experientia quorundam veterum, quia saepe Jesus quem quae sierunt velut ad monumentum, ad memorias altarium, nec invenerunt, inasperatus occurrit eis in viis laborum. Tunc nimirum accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, quorum acilicet pedes non tenuerat pigritia, praediderio ejus. Noli ergo tu, frater, nimis parere pedibus tuis a viis obedientiae et discursibus operum, quandoquidem Jesus pedibus suis non peperit 1001 propter te etiam a dolore clavorum; et adhuc eorundem amplexu et osculo pedum non gravatur laborem remunerare aut relevare pedum tuorum. Nam et illud quantae consolationis erit, si se tibi viae comitem adjunxerit, miraque delectatione suae sermocinationis, etiam sensum tibi laboris ademerit, aperiens tibi sensum, ut intelligas Scripturas, quas fortasse domi sedens legebas et non intelligebas? Obsecro vos, fratres mei, quibus hoc aliquando dedit experiri dignatio divina, nonne cor vestrum ardens erat in vobis de Jesu, eum loqueretur vobis in via, et aperiret Scripturas? Recordentur igitur illud experti, et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini; credant, et experiri satagant inexperti, ut aliquando et ipsis cantabiles fiant justificationes